

Distinctiones 20 et 21.

Circa distinctiones 20 et 21, in quibus Magister tractat de equalitate trium personarum in potentia et virtute, quero utrum ens primum habeat vim conservativam omnium aliorum entium. Quod non, quia una creatura non esset magis vel minus corruptibilis vel incorruptibilis quam alia. Probo, quia nulla posset ex se durare nisi libere manu teneatur a Deo, et non potest ab alio destrui si Deus illam conservet. Contra: quod sibi relictum caderet in non esse circumscribendo quoddam extrinsecum conservatur ab illo extrinseco, sed circumscripto ente primo, quodlibet ens secundum caderet in non esse circumscripta etiam actione cuiuscumque alterius corrumpantis. Aliter enim non esset essentialis ordo et connexio entium secundorum ad primum.

Prima conclusio: secundum veritatem catholicam ponendum est omne aliud a Deo conservari a Deo et indigere divina conservatione, ad hoc ut maneat in esse. Probatur per Augustinum, 4 Super Genesim, capitulo 2: “Creatoris potentia et omnipotentis atque omnitenentis virtus est causa subsistendi omni creature, que virtus ab eis que creata sunt regendis, si aliquando cessaret simul et illorum cessaret species omnisque natura concideret”. Et ponit differentiam inter fabricatorem domus et creatorem rerum, quia domus stat abcedente artifice, non sic de opere Dei.

Idem ponit libro 22 De civitate Dei, capitulo 24.

Item, Anselmus, De casu diaboli, capitulo 1, “non solum non est aliqua alia essentia, nisi illo faciente, sed nec aliquatenus manere potest que facta est, nisi eodem ipso servante”.

Idem ponit Monologion 13.

Item, natura angelica indiget conservari, igitur et omnis alia. Antecedens patet, quia non aliter potest cadere in non esse, nisi per subtractionem divine manutenentie.

Secunda conclusio: stando in lumine naturali tamquam probabilius ponendum est Deum esse principium conservativum omnium aliorum entium. Probatur: Deo attribuendum est illud quod non ostenditur sufficienter ei repugnare, nec apparet derogare, sed attestari eius perfectioni et consonat maiori connexioni et ordini universi, sic est igitur.

Preterea, sequitur quod ens secundum non indigeret ente primo, nec dependeret per se ab illo. Consequens est falsum, quia nullum ens secundum est simpliciter independens, 12 Metaphysice.

Ab ipso dependet celum et materia. Consequentia probatur, quia nullum ens in suo esse dependet per se ab illo ente extrinseco, per quod non per se conservatur et manutenetur in esse, nec per ipsum elongatur a contrariis, nec prohibet actionem contrariorum.

Preterea, sit *b* effectus non conservatus ab *a* suo particulari generante, tunc sic *b* effectus manet in esse facto pro hoc tempore per aliquam causam et virtute alicuius cause, non autem per *a* suum generans. Igitur, per aliam. Non videtur autem convenientius quam de prima causa. Prima pars antecedentis probatur, quia *b* non habet in hoc tempore esse independens, quia quod est in suo esse independens est necesse esse et quia non habet ex se et a se esse pro hoc tempore, sed accipit ab alio esse pro hoc tempore. Secunda pars antecedentis probatur, quia nullum ens stat in esse virtute illius quod nihil est vel quod contingit nihil esse ipso stante.

Preterea, nullum ens secundum est magis per se dependens ab alio ente se **-[166a]-** cundo sibi extrinseco, quam ab ente primo, quia essentialior ordo est entis secundi ad primum. Sed aliquod ens secundum sic dependet per se ab aliquo ente secundo extrinseco, quod conservatur per se ab illo, ut lumen a luminoso.

Preterea, vis per se conservativa alterius a se non minus est attribuenda prime intelligentie quam posterioribus intelligentiis. Indigere etiam extrinseco conservativo non minus convenit corporibus inferioribus quam superioribus incorruptilibus. Sed secundum Commentatorem in De substantia orbis: “corpus celeste non tantum indiget virtute semper movente ipsum in loco, sed etiam virtute largiente in se et in sua substantia permanentiam eternam. Quamvis enim sit simplex non habens potentiam ad corruptionem, tamen quia est corpus finitum nisi ponatur alterum quod ei largiatur permanentiam eternam et motum eternum. Ita esset de finitate permanentie sue sicut de finitate sue actionis. Recesse est ergo ut largiatur ei permanentiam eternam, sicut motum eternum, et quod largiatur ei figuram propriam illi motui, scilicet sphericam, et convenientia accidentia in ordine et quantitate”, hec Commentator.

Contra: probatur quod nullum ens permanens indigeat extrinseco conservativo, quia rem quiescere in esse non indiget extrinseco positivo conservativo, igitur rei conservativo inesse non indiget extrinseco. Consequentia patet, quia rem quiescere in esse est rem conservari in esse, et hoc solo posito res conservatur in esse. Antecedens probatur: si habitus ad sui durationem in esse indiget extrinseco positivo causaliter conservante privatio opposita, non indiget huiusmodi causa. Sed quies in esse et motus seu via ad esse vel ad non esse opponuntur ut privatio et

habitus, et motus ille indiget extrinseco positivo causali, igitur quies in esse non indiget huiusmodi. Maior probatur, quia ad privationem sufficit sola privatio cause habitus, ut si lumen exigit luminosum, tenebra non exigit. Quod enim per sui presentiam est causa habitus, est per sui absentiam causa privationis. Sola igitur absentia cause mutantis sufficit ad hoc quod res quiescat in esse, et per consequens quod se habeat eodem modo nunc et prius, et hoc est durare.

Secundo specialiter de entibus compositis sic, quod est sufficiens causa essendi compositum in actu per tempus est causa sufficiens conservationis compositi. Sed principia intrinseca rei cum privatione cause mutantis sunt huiusmodi, quia pone principia intrinseca unita, et tollas extrinsecum mutans, stat compositum in actu, igitur.

Tertio, sequitur quod nulla causa secunda poterit aliquid corrumpere. Probo: nihil potest destruere effectum conservatum ab aliqua causa, nisi vincendo et superando potentiam conservativam. sicut igne conservante calorem aque nihil potest corrumpere illum calorem presente igne, nisi predominando potentie ignis conservative. Sed nullum ens secundum potest superare potentiam prime cause, quia minor est, igitur.

Quarto specialiter, quod secunde intelligentie non conservantur a prima, sic nullum ens formaliter in se necesse esse indiget ab altero conservari ut sit et duret in esse, sed stando in lumine naturali unaquisque intelligentia est in se formaliter ens necesse esse, quia simpliciter impossibile est ipsam perdere esse, igitur. Maior patet, quia oppositum implicat contradictionem. Si enim est ens in se formaliter necesse esse, ergo illud sibi relictum circumscripto quoque extrinseco est ens, quia sibi formaliter et intrinsece repugnat non esse, et si indiget conservari ab altero, ipsum sibi relictum cadit in non esse, ergo sibi relictum esset et non esset.

Quinto, scientia secunda conservantur et dependent a primo ente, sequitur quod quelibet natura perfectior quoad gradum essendi est dependentior in eadem proportione qua perfe -[166b]-ctior. Consequens est falsum, quia intelligentie secunde essent entia magis dependentia quam res inferius corruptibiles, ut angelus simplex quam asinus compositus et substantia magis quam accidens. Consequentia probatur. Primo: quanto maior est actio et causatio secundum quam res fluit in esse, et quanto maior est conservatio secundum quam formaliter tenetur et stat in esse, tanto maior est dependentia, et tanto magis dependet, quia causari et conservari est dependere formaliter. Sed quanto res est nobilior, si ipsa causatur et conservatur ab alio extrinseco, tanto

actio et causatio secundum quam formaliter causatur est perfectior et maior et conservatio secundum quam stat in esse, quia causatio et actio non dicitur perfectior vel imperfectior nisi respectu perfectioris vel imperfectioris termini, igitur.

Secundo, hec entitas est sua dependentia, ergo si est maior entitas est maior dependentia, ergo magis dependet. Confirmatur: hec res est maior, hec res est dependentia, ergo dependentia est maior.

Confirmatur: omne ens dependens est sua dependentia, ergo quantum acquirit de latitudine essendi seu entitatis, tantum acquirit de latitudine dependentie, ergo quantum est ens, tantum est dependens.

Tertio, aut latitudo dependentie ut dependentia est, seu aut dependere magis vel minus mensuratur et attenditur penes quantitatem entitatis, quae dependet et habetur propositum, aut penes quantitatem rei a qua dependet.

Sed contra, quia cum quodlibet ens secundum te dependeat a Deo, qui est infinitus tanta infinitate, quod maius non potest cogitari, sequitur quod quodlibet ens secundum dependet infinite, quanta infinitate Deus est infinitus, ergo unum ens non est magis dependens quam aliud.

Sexto principaliter, hoc videtur quia ex non esse primi sequitur non esse entis secundi, et quia ens secundum sibi relictum cadit in non esse. Sed hoc non valet, stando in lumine naturali. Ex uno enim impossibili sequitur aliud impossibile, circumscripta conservatione. Ita enim ablatis omnibus entibus secundis, sequitur primum ens non esse, quia secundum philosophos, impossibile est solum primum ens esse. Sicut etiam secundum Philosophum, 12 Metaphysice, ablato primo mobili vel motu, aufertur motor, quia frustra esset, et ablato celo inferiori, sequitur celum superius non esse, quia secundum philosophos impossibile est vacuum esse aut celum rarefieri, et sic de loco et locabili, et de materia et forma, et multis aliis secundum philosophos.

Ad primum, negatur antecedens. Ad probationem per idem probatur quod lumen non conservatur a luminoso, nec visio vel species ab objecto, nec actus anime ab intellectu vel voluntate. Dicendum igitur ad maiorem quam quamvis privatio quatenus est negatio vel carentia habitus non indigeat extrinseco conservante, tamen ratione positivi substrati indiget tam causis intrinsicis quam extrinsicis, et licet ad carentiam et negationem habitus sufficiat absentia cause habitus, tamen ad positionem et durationem subiecti vel quasi subiecti subtracti requiritur

extrinseca causa positiva. Licet non ad hoc quod careat habitu. Minor etiam est falsa, loquendo proprie de habitu et privatione, nam quies in esse sive terminus ad quem et fieri non opponuntur ut privatio et habitus, 5 Physicorum, quies etiam in esse non opponitur ut privatio ipsi destructioni ut habitui secundum rem, sed tantum in figura loquendi.

Ad secundum, negatur minor, licet sufficient in genere causalitatis intrinsece, non tamen simpliciter ad probationem. Si tollas omnem causam extrinsecam conservantem, sequitur principia unita non manere, sed cadere in non esse.

Ad tertium, negatur consequentia. Ad probationem, quoddam est conservans particulariter quod sic conservat hunc quod eius contraria corruptiva non conservat, nec eis coagit, sed eis resistit et effectum sic conservatum nulla virtus potest destruere nisi superet virtutem conservantis, vel simpliciter, vel ut exercetur circa illum effectum, aliud est conservans universaliter, quod sic conservat hanc rem particularem, ut etiam eius contraria corruptiva conservet, nec eis resistit, sed potius coagit, et effectum sic conservatum potest aliquando causa destruere, licet non superet virtutem conservantis.

Ad quartum, stando in lumine naturali, negatur maior, secundum enim philosophos secunde intelligentie dependent a prima secundum causalitatem finalem. Si autem causalitas finalis potest esse respectu entis necessarii, ita et conservatio. Ad probationem, licet sit ens in se formaliter necessarium, sequitur tamen ipsum non esse, si quodlibet aliud non esset, nec stat ipsum esse nisi eo modo quo ex antecedente impossibili inferuntur contradictoria simul stare. Conceditur tamen quod ens formaliter necessarium non cadit in non esse, circumscripto quocumque alio, cuius circumscriptio non infert quodlibet aliud non esse.

Ad quintum, negatur consequentia. Ad probationem primam, loquendo de maiori et minori dependentia secundum communem usum. Negatur maior quia actio dicitur maior secundum maioritatem termini qui agitur. Sed dependentia dicitur maior, non secundum maioritatem rei que dependet, sed secundum pluralitatem causarum a quibus dependet extrinsece vel intrinsece, et secundum modos et circumstantias dependendi, puta in fieri tantum vel etiam in facto esse. Ad probationem, licet actio et conservatio passiva sit dependentia, et licet causari sit dependere, non tamen sequitur quod maior actio et productio sit maior dependentia secundum communem acceptionem, sicut licet homo sit clericus, non tamen maior homo est maior clericus. Iste enim comparativus maior vel maius varie accipitur secundum quod varia substantia determinativa sibi

adduntur, ut hec albedo est similitudo, non tamen maior albedo est maior similitudo, et hec quantitas est latitudo, non tamen maior quantitas est maior latitudo.

Ad secundam probationem, negatur consequentia propter idem, nisi in consequente accipiatur maior dependentia pro maiori illius realitatis formaliter, que est dependentia, et tunc concessio primo consequente, negatur secunda consequentia, sicut non sequitur hec est similitudo maior, ergo est magis simile, vel hec est paternitas maior, ergo est magis pater, vel maior duplicitas, ergo magis duplum.

Ad confirmationem, notandum quod cum iste terminus maior ponitur a parte predicati, et sibi non additur expresse determinatio, videtur subintelligi res vel entitas vel interdum propositio est distinguenda, quia cum sit truncata et imperfecta, substantivum subintellectum potest esse terminus transcendens, puta res, entitas vel huiusmodi, vel potest esse substantivum positum a parte subiecti, cum igitur infertur in conclusione, ergo hec dependentia est maior. Si li 'maior' sumatur uniformiter in conclusione et in maiore. Conceditur conclusio, et tunc determinativum subintellectum est res vel entitas, et tunc non sequitur, ergo magis dependet, nec sequitur igitur est maior dependentia. Hic enim non notatur maiori rei que est dependentia. Sed pluralitas eorum a quibus dependet et circumstantiarum secundum quas dependet, varie ergo accipitur terminus comparativus in illis propositionibus. Similiter distinctio Socratis a Platone est maior quam distinctio albedinis a calore, quia maior entitas, et tamen non magis distinguitur. Si vero accipiatur difformiter in conclusione et maiore. Sic discursus non valet, ut patet in exemplis supra tactis. Sed est fallacia accidentis. Ad aliam confirmationem. Si consequens intelligitur quantum acquirit de eo quod veraciter et realiter est entitas seu latitudo entitatis, tantum acquirit de eo quod est veraciter et formaliter dependentia seu latitudo dependentie. Conceditur: nec ex hoc sequitur, si est magis ens vel maior entitas, quod sit magis dependens vel maior dependentia propter variam acceptionem termini comparativi additi variis determinatis, sicut si corpori decem pedum in longitudine, et unius pedis secundum latitudinem addatur quantitas quadrata pedalis, tunc quantum acquirit de dimensione latitudinis, tantum acquirit de longitudine, quia longitudo et latitudo acquisita sunt idem. Et tamen non sequitur si est magis longum quam prius vel maior longitudo, quod sit magis latum vel maior latitudo. Si vero consequens intelligatur quod quantum est magis vel minus vel eque ens in eadem proportionem sit magis vel minus vel eque dependens, negatur quia non oportet quod secundum quod plus vel

minus acquirit de entitate secundum hoc a pluribus vel a paucioribus extrinsece vel intrinsece vel pluribus modis dependeat.

Ad tertiam probationem dicendum quod attenditur penes pluralitatem vel paucitatem causarum a quibus dependet. Dependencia enim sicut a causalitas dicitur varie secundum causas extrinsecas vel intrinsecas, attenditur etiam penes modum et circumstantias dependentie sicut secundum fieri et factum esse, quod ergo est realiter simplex non dependens intrinsece et a solo Deo dependens extrinsece, dicitur minime dependens, quod autem dependet a causis intrinsecis et causis extrinsecis non solum a prima causa universali, sed ab agente particulari dicitur maxime dependens.

Et cum arguitur quod effectus quilibet infinite dependeret, et ita non magis unus quam alter. Dicendum quod non sequitur, quia licet Deus sit infinitus secundum perfectionem, tamen quia est unus et simplex omnino, et magis dependere attenditur penes ea a quibus dependet, non prout sunt materialiter tante entitatis, sed prout sunt tot seu plura vel pauciora essentialiter, et resolvendo ad paucitatem est status ad unitatem. Ideo quod ab uno solo, scilicet Deo dependet minime dependet, sicut ternarius pisorum dicitur maior multitudo quam binarius equorum, licet hec multitudo sit realiter et materialiter aggregatum maius, tamen pauciores unitates continet secundum huiusmodi numerationem. Ad sextum principale, illud medium sic in generali sumptum non est sufficiens ad probandum propositum in lumine naturali, nisi reducendo ad media supra posita.

Tertia conclusio: conservari proprie et per se ab altero est dependere causaliter effective ab illo. Probatur quod in suo esse intrinseco dependet per se et essentialiter ab altero causatur ab illo secundum causalitatem intrinsecam vel extrinsecam, unumquodque enim sufficienter dependet per se et essentialiter a suis per se causis. Alioquin nulla causalitas probari posset vel essent plura genera causarum quam quattuor. Sed quod in suo esse formali conservatur per se et manutenetur ab alio extrinseco dependet per se et essentialiter ab illo, ergo causatum illius non intrinsece, ergo extrinsece, ergo effective. Dices: sufficit quod dependeat secundum causalitatem finalem, et sic in proposito ens primum est causa finalis aliorum que ordinantur ad ipsum ut ad finem principalem et ultimum, ideo frustra essent si ille non esset. Contra: quod in suo esse dependet per se et essentialiter ab aliquo, sic quod presupponit et perexigit esse illius tamquam indigens presentia et existentia illius non habet ordinem ad illud precise ut ad finem,

sed ipse conservatum dependet etc., ergo. Maior probatur, quia causatum cause finalis secundum quod huiusmodi potest fieri et esse sine existentia cause finalis. Patet tam de fine generationis, quam rei genite, quam de fine quo quam de fine cuius, patet etiam 2 Physicorum, sicut ad veritatem conclusionis non sequitur veritas principiorum sed e contra, ita ex esse entis ad *b* finem, non sequitur esse finis, sed e contra, immo ex esse entis ad finem non sequitur possibilitas *b* finis, quia voluntas potest aliquid agere propter [168a] finem prestitutum impossibilem in naturalibus, etiam interdum finis est impossibilis secundum philosophos, ut hec domus sit propter Socratem, et Socrate corrupto manet domus, licet sit impossibile Socratem ultra esse, similiter hic flos vel hoc semen est propter fructum, qui est naturaliter impossibilis, quia impeditur necessitate naturali. Confirmatur: non esset magis per se, et necessarius ordo, vel dependentia entis secundi ad primum quam asini ad equum, vel equi ad hominem, quia 2 De anima, “sicut Deus est causa finalis omnium, ita et nos aliorum inferiorum”, nec valet illud quod ens secundum frustra esset, multa enim sunt, licet frustra sint, quia non attingunt finem ad quem nata sunt esse, et ita ex non esse finis secundarii inferretur causatum finaliter non esse, sicut ex non esse primi entis, diceretur enim frustra esse, quia non potest attingere finem ultimum nisi mediante fine immediato, sicut nec ordinatur in finem ultimum, nisi mediante fine immediatiori, vel si non dicitur frustra esse, quia aliquis eius finis est, ita dicitur quod non frustra esset quamvis ultimus finis non esset ex quo alius eius finis per se esset. Item, contra responsionem in inferioribus conservari per se ab aliquo et causari finaliter ab illo sunt omnino per accidens connexa, nec aliud conservatur per se ab aliquo ex eo quod est propter illud, nec aliquid est propter aliud ex eo quod conservatur ab illo, igitur irrationabiliter ponitur in superioribus, conservatio ex causalitate finali ex manifestis iudicandum est de immanifestis. Antecedens probatur, quia lumen non est propter luminosum, nec visio propter obiectum a quo conservatur et e contra, medicina est propter sanitatem, et tamen non conservatur a sanitate, et domus vel instrumentum est propter usum, et tamen non conservatur per illum.

Confirmatur: in inferioribus conservari per se et manutener in esse reperitur, cum et ex causalitate effectiva, et sine finali, non autem reperitur cum finali sine effectiva, igitur irrationabiliter ponitur in superioribus, conservatio per se ex causalitate finali negando effectivam. Antecedens patet, quia conservatio et dependentia continua luminis a luminoso conservante est dependentia secundum causalitatem effectivam uniformi enim immo eadem dependentia dependet in principio sui esse et consequenter. Unde secundum Augustinum, super

Genesim 8, “aer continue fit lucidus, nec est factus lucidus, sic quod suum fieri et causari transierit, sed continue stat”. Preterea, ad conclusionem conservatio angeli vel anime intellectuale a Deo est dependentia secundum causalitatem effectivam, quia non aliter cadere possunt in non esse quam subrahendo manutenentiam¹. Preterea, ad conclusionem cuius remotio et absentia est causa non esse *b* secundum causalitatem effectivam eo modo quo huiusmodi causalitas dicitur esse respectu non esse et respectu privationum illius positio et presentia est causa esse *b*, secundum causalitatem effectivam, quia ex 2 Physicorum, “ad idem genus cause reducitur utrumque”, scilicet presentia cause respectu positionis effectus et remotio cause respectu non esse effectus seu affirmatio respectu affirmationis et negatio respectu negationis, sed remotio per se conservantis est causa corruptionis, et non esse eius quod conservabatur secundum genus causalitatis effective, quia circumscripto alio corrumpente corrumpitur conservatum ad remotionem conservativi, corrumpere autem et generare ad idem genus causalitatis reducitur. Et patet quod non secundum causalitatem finalem, quia corruptio et non esse luminis non ordinat fi-[168b]-naliter ad absentiam et remotionem luminosi, sed potius econtra tollitur luminosum ut tollatum lumen. Confirmatur: illud principium ponitur effectivum *b* ex cuius presentia *b* exit de non esse ad esse, ergo ex eius remotionem *b* transit de esse ad non esse, et virtute cuius preservatur a casu in non esse. Consequentia probatur, eque enim accipit *b* esse per hoc, sicut per illud nec minus est virtute huius quam illius, et quia ad idem genus cause reducitur inchoare motum et continuare precedentem. Confirmatur: quod ex virtute sua posset quantum est ex se dare novum esse ipsi *b*, si ipsi non repugnat transire noviter de non esse ad esse, est principium productivum ipsius *b*, sed extrinsecum per se conservans *b* in esse est huiusmodi, quia habet virtutem per quam sufficienter *b* sit ens in actu permansivo, igitur non minus continet virtualiter esse ipsius *b*, quam si educeret ipsum de non esse, et eque per se terminat dependentiam illius, immo perfectius continet esse ipsius *b* in sua virtute illud cuius virtute *b* stat in esse facto et quieto quam illud virtute cuius *b* haberet tantum esse in fieri et in transitu.

Contra: causari effective est formaliter ordo et respectus dependentie ad aliquod principium extrinsecum. Sed conservari in esse non est per se et formaliter ordo vel habitudo dependentie ad aliquod principium extrinsecum. Probo, quia circumscriptio ordine vel respectu ad

¹ alia lectura habet: istam ratione ante confirmationem quam hic immediate sequitur.

principium extrinsecum, posito quod hec res existat per durationem divisibilem, sequitur quod suum conservatum esse est. Conservari enim rem in esse est ipsam quiescere et manere in esse duratione divisibili et non dicit nisi respectivum prioris ad posterius secundum durationem. Unde et divinum esse conservatur eternaliter. Secundo, id non est per se causalitas effectiva, quod ponitur per solam privationem cause transmutative vel corruptive conservatio est huiusmodi. Homo enim conservatur a frigore per vestem tamquam per impedimentum et remotivum cause corruptive, et similiter per domum ab estu, et per clipeum ab ictu.

Tertio, multis convenit conservare, quibus non convenit vis effectiva respectu eius quod conservatur. Probatur primo in exemplis supradictis. Similiter, locus conservat locatum, ideo enim ad illum movetur, quia in illo conservatur, et tamen nihil in eo causat effective ex eo quod locat similiter principia intrinseca sunt conservativa compositi, quia sunt ipsi composito causa essendi in actu per tempus et causa quietis et mansionis in esse uniformi nunc ut prius, et ita duranti per tempus. Similiter, et forma substantialis conservat dispositiones et accidentia propria compositi, sicut anima conservat corpus in sua complexione, quia recedente anima dispositio complexionalis tendit in non esse. Frigus etiam aqua conservatur a forma substantiali, et tamen ibi non est continua causalitas effectiva, quia calor et frigus non sunt qualitates que in actu terminato causentur continue a suo primo generante, nec unum causatur nisi cum corruptione et expulsionem contrarii. Quarto, causalitas effectiva est principium et ratio essendi post non esse, vel non essendi post esse. Sed conservatio non est huiusmodi, sed magis essendi post esse seu essendi nunc et prius et postea, igitur. Maior probatur, quia causa effectiva diffinitur quod est principium, unde motus et de ratione cause effective est extrahere in actum illud quod erat in potentia, secundum Commentatorem, 12 Metaphysice, commento 43. Confirmatur: conservatio rei est posterior productione illius et presupponit productionem illius. Conservatio etiam presupponit esse rei, sed productio effectiva non presupponit². Quinto, sequitur quod quamdiu res conservatur ab aliquo tamdiu fieret et produceretur **[169a]** effective ab illo, sed hoc est falsum. Probatur primo: fieri et produci continue illud quod iam preerat in actu completo et facere illud quod iam complete factum erat nihil est, quod enim complete factum est non indiget, ut amplius fiat, nihil enim acquireretur illa factione.

² alia lectura habet: preponit isti confirmationi. 5. sequitur etc.

Secundo, non possibile corrumpere illud quod iam corruptum erat, alioquin in eternum corrumperetur, igitur. Similiter hic.

Tertio, productio non est posterior termino ad quem. Sed hoc instans est prius tempore sequenti, et res in hoc instanti habet esse, et in toto tempore sequenti producitur continue secundum te.

Quarto, pro quacumque mensura potest Deus causare potest Deus adnihilare, sed per te potest angelum creare et producere effective actu per totam horam continue, igitur potest continue actu adnihilare hunc angelum per totam hanc horam quod est impossibile, quia angelus est indivisibilis et in eternum semper continue adnihilaretur, et loquor de adnihilatione contraria creationi.

Quinto, si res producitur non est producta, et si sit ergo non est facta. Patet per Augustinum super Genesim, capitulo 8, “aer presente lumine non est factus lucidus, sed fit. Si enim factus esset etiam absente lumine lucidus maneret”. Et secundum Magistrum I Sententiarum, distinctione 9, “convenientius dicitur Filius Dei semper esse natus quam semper nasci, quia qui semper nascitur numquam natus esse videtur”.

Sexto principaliter, contingit effectum ab aliqua causa productum conservari, postea noviter ab alia causa, ut calor productus ab igne conservatur a sole et actus productus ab obiecto et potentia cognitiva conservatur ab imperio voluntatis. Sed nihil causatur noviter effective ab aliqua causa quod ab aliis causis iam preerat.

Ad primum negatur minor, loquendo de conservatione proprie dicta. Conservatio enim potest sumi largissime et improprie pro absoluta mora in esse et pro duratione per tempus, et sic procedit argumentum. Alio modo, ut dicit habitudinem alicuius ut conservati ad alterum, ut conservans ut conservari sicut manere in esse per alterum et virtute alterius, et sic negatur minor.

Ad secundum negetur minor, loquendo de conservatione proprie. Sciendum enim quod sumendo conservationem proprie secundo modo, scilicet minus large et minus improprie, prout dicit respectum ad alterum, ut conservans sic conservativum potest sumi dupliciter: uno modo generaliter pro eo per quod res quocumque durat et stat inesse, et sine quo res caderet vel tenderet in non esse sive per se, sive per accidens, sive illud sit rei intrinsecum, sive extrinsecum, et sic homo conservatur a domo vel veste vel clipeo, quia ad absentiam istorum sequitur presentia et actio contrarii corrumpentis vel indisponentis, et locus conservat locatum, quia

elongat a corruptivis. Similiter, una pars quanti conservat aliam que caderet in non esse si per se esset. Similiter, canis conservat domum, elongant enim rem a contrariis et preservant ab actione contrariorum, et impediunt et prohibent corruptiva, sic etiam principia intrinseca possunt dici conservare rem, quia per ea causaliter compositum stat in esse actualiter per tempus. Alio modo, conservativum proprie et stricte dicitur extrinsecum illud per quod et virtute cuius res stat per se in esse, et declinat casum in non esse, et a quo res sit per se et essentialiter dependet quod per solam remotionem illius res cadit in non esse, circumscripto alio corruptivo vel activo circa illam rem, ut de lumine respectu luminosi, et de visione vel specie respectu obiecti, et sic est sermo de conservatione in proposito. Ex his patet ad secundum et tertium.

Ad quartum, ne **-[169b]-** gatur maior si accipitur universaliter. Ad probationem, illa non est universalis et per se ratio cause effective, sed esse a quo aliud est. Illud igitur est quedam manifestatio et descriptio cause effective in his que sunt communiora et notiora, scilicet in actionibus phisicis successivis, nec universaliter causalitas effective est extrahere in actum illud quod erat in potentia, sed hoc est causalitas effective phisice et nove. Est igitur vel trahere in actum quod prius erat in potentia vel manutenere actum qui iam erat.

Ad confirmationem, productio rei potest sumi stricte pro datione entis, et acceptione entitatis ab alio noviter exeundo in esse; alio modo large pro dare vel capere esse ab alio et dependere ut a quo per se est. Primo modo productio et conservatio proprie non sunt idem, nec diversa actu vel potentia, sicut antiquitas et novitas essendi *b*, quia impossibile est utrumque simul verificari de eodem intelligibili existente pro eadem mensura, ut comparata ad non esse precedens impossibile est etiam quod productio ipsius *b* et conservatio ipsius *b* sint similiter actu, et quod hoc non sit illud, cum ergo dicitur quod conservatio rei est posterior productione illius et presupponit illam. Si intelligitur de productione secundo modo, et quod conservatio aliquando sit quando productio non est sed fuit, negatur. Si autem intelligitur quod si conservatio est productio, prefuit, sed aliquando erat productio, cum non erat conservatio, conceditur. Sed non infertur quod conservatio nunc non sit productio, sed solum quod hec productio non erat, tunc conservatio et quod productio potest non esse conservatio, sicut album potest non esse simile, et novum potest non fore antiquum. Unde hoc esse posterius illo est hoc non posse esse sine illo, et illud posse esse sine isto, igitur hec est multiplex, secundum compositionem et divisionem hec conservatio non fuit quando hec productio fuit, vel hec conservatio erit quando productio

non erit; loquendo vero de productione primo modo, conceditur quod hoc non est idem illi proprie, nec tamen sunt diversa, sed idem prius est productio, postea vero conservatio. Unde non concluditur, ergo de presenti, sed tantum de preterito vel de futuro vel de possibili.

Ad quintum, conceditur consequens accipiendo ‘fieri’ et ‘produci’ secundo modo pro capere esse causatur effective, et pro dependere ab aliquo ut a dante esse, et ut a quo habet esse effective, non autem ut accipitur pro capere esse noviter ab alio, et pro exire de non esse ad esse.

Ad primam improbationem consequentis producere secundo modo illud quod iam preerat nihil est sed continue, sed est dare esse causatur ei quod iam preerat, et aliquid continue capere et habere esse ab alio, et dependere continue per se uniformiter in suo esse ab illo, verum est nec acquiritur novum esse. Sed manenetur et continuatur precedens esse. Ad secundam, negatur consequentia, corruptio enim non dicitur nisi de exitu ab esse in non esse, quia omnino nihil est nisi in respectu ad esse precedens.

Ad tertiam, proprie productio non est posterior termino, sicut nec terminus est posterior termino, sed illud quod fuit productus tamquam terminus potest etiam nunc produci postquam prehabuit esse sicut et nunc habet esse postquam iam prefuerat. Hec autem propositio “conservatio rei est posterior esse illius”, si intelligitur quod conservatio est et illa res non est sed fuit, negatur. Si vero intelligitur quod res prius fuit, et eius conservatio non erat, negatur in sensu divisionis. Sed in sensu compositionis, conceditur, et tunc non concluditur, nisi quod hec res non erat prius conservatio et quod non semper, nec ne **-[170a]-** cessario, nec per se est conservatio per tantum tempus. Unde discursus est ex propositionibus de preterito vel futuro, vel de possibili, et non concluditur conclusio de inesse et de presenti, nisi comittatur fallacia figure dictionis.

Ad quartam, concessa maiore non valet discursus, licet enim pro omni mensura qua Deus potest causare angelum posset etiam in eadem adnihilare angelum, non tamen uniformi modo mensurandi adnihilationem et causationem, ut scilicet sicut productio vel dependentia ipsius *a* stat continue per horam, ita exitus novus ab esse in non esse stet continue uniformiter per horam, hoc enim est impossibile in re indivisibili vel negatur maior loquendo de productione large. Sed conceditur de productione stricte que est versio et exitus noviter de non esse ad esse.

Ad quintam probationem, negatur consequentia, accipiendo esse productum et factum pro eo quod sic habet esse ab alio quod nihil eius restat producendum, sed quelibet eius pars est in actu completo extra nihil.

Ad probationem, Augustinus dicit quod aer fit continue lucidus, ita quod continue accipit lumine effective a luminoso. Si enim, ut ait Augustinus, esse factus lucidus, sic quod non continue fieret lucidus, tunc maneret lucidus absente luminoso, non igitur negat qui sit factus lucidus. Sed quod non sic, qui adhuc continue fiat, et quin continue indiget generante dante sibi esse et terminate eius dependentiam, Magister etiam non negat qui veraciter Filius Dei semper gignatur et nascatur, et semper natus sit. Sed dicit quod convenientius dicitur semper natus quam semper nasci, quia convenientius exprimitur eternitas et perfectio illius nativitatis, et magis excluditur occasio et suspicio erroris et declinatur calumnia hereticorum, in creaturis enim tunc dicitur aliquid nasci, cum nondum totaliter et perfecte natum est, sed restat aliquid nascendum, et ita notatur divisibilitas et compositio et imperfectio et successio.

Ad sextum principale, potest negari maior, loquendo de proprie et per se conservatione, calor enim productus ab igne conservatur per accidens a sole, quia prohibet corruptiva caloris actus etiam productus totaliter a potentia et obiecto non incipit, postea idem numero conservari ab actu voluntatis, nisi quia prohibet intellectum converti ad aliud, vel quia ille actus voluntatis detinet causas in eadem dispositione, et impedit illa quibus intellectus averteretur ab illo, vel conserveretur ad aliud, sicut detinens hic luminosum ne recedat, diceretur conservare hoc lumen. Sic etiam Augustinus, 11 De civitate, capitulo 2, dicit quod animi intentio detinet oculos in visione obiecti, et tamen visio non proprie et per se dependet ab actu voluntatis, quia sufficienter dependet a potentia sensitiva et rebus extra quod si in aliquo casu actus intellectus proprie et per se conservetur ab actu voluntatis, conceditur quod illa conservatio esset dependentia effectiva, et non esset idem actus numero cum illo qui prius esset totaliter causatus sine actu voluntatis.

Ad argumentum in principio questionis, negatur consequentia, quia unum ens secundum est naturaliter corruptibile ab aliquo ente secundo supposita Dei influenza generali, non autem quodlibet.

Secunda questio.

Secundo circa distinctiones 20 et 21, quero utrum sufficienter probari possit ultimum finem omnium esse primum principium effectivum omnium. Quod non, quia nullum ens permanens in esse quieto indiget aliqua [170b] causa extrinseca effectiva, quia ad quietem inesse cum sit privatio sufficit privatio cause habitus, scilicet cause transmutantis.

Item, secunde intelligentie non habent causam effectivam, secundum philosophos. Probo, quia ens intransmutabile non indiget causa transmutante, igitur non indiget causa effectiva, quia causa effectiva diffinitur 2 Physicorum quod est principium, unde motus. Contra: primum ens est conservativum omnium aliorum, igitur effectivum. Antecedens et consequentia patent ex questione precedente.

Prima conclusio: in lumine naturali ponendum est aliquod ens esse primum effectivum, sic quod est incausatum effective, nec est effectivum virtute superioris effectivi essentialiter subordinati. Probatur: aut *a* effectivum est huiusmodi, et propositum, aut est causatum effective ab alio, et virtute prioris effectivi est effectivum, et de illo queritur ut prius, igitur vel erit status ad aliquod tale effectivum, vel erit actualis multitudo causarum effectivarum simul existentium infinita.

Dices: sufficit infinitas successiva in causatis et in causis effectivis, ita quod omne effectivum nunc existens est causatum effective et aliquod eorum nunc existens est causatum effective ab aliquo iam corrupto, ut homo nunc vivens ab aliquo iam mortuo.

Contra: ut arguit Scotus, quia tota ista multitudo seu universitas infinitorum sibi succedentia est causata, igitur habet causam non aliquid illius universitatis, igitur causata ab aliquo extra totam illam multitudinem de illo queritur ut prius. Confirmatur, quia talis successio infinita generabilium et corruptibilium non perpetuatur nisi in virtute alicuius permanentis quod nihil est illius successionis, sed est essentialiter prius et a quo dependet quodlibet illius successionis, et quod est infinite durationis, ut habetur 8 Physicorum circa medium, et istud est probabile. Talis enim perpetuitas successionis non perseverat nisi mediante perpetuitate materie ex qua subjective et passive fiunt generationes et corruptiones talis etiam difformitas non perpetuatur nisi mediante aliqua causa celesti influente, ut ostendit experientia de tali, ergo influente et conservante, queritur ut prius, et erit status in aliqua causa effectiva previa vel actualis infinitas huiusmodi causarum.

Secunda conclusio: in lumine naturali tamquam probabilius ponendum est ens simpliciter primum habere vi effectivam cuius oppositum nituntur quidam imponere Aristoteles, et eius commenta dicentes Deum habere solam causalitatem finalem, et movere solum per modum amati et desiderati, primum autem effectivum dicunt esse primum motorem primi mobilis, et non habere causam effectivam, sed tantum finalem, scilicet Deum. Probatur igitur conclusio enti perfectissimo attribuenda est causalitas perfectionis, sed continere virtualiter nobilissimos effectus est perfectionis, quia hoc est esse actualissimum. Confirmatur quod habet vim effectivam respectu nobilissimorum causabilium videtur nobilior eo quod nulla habet vi productivam, alioqui nam nobilitas et perfectio posset argui vel cognosci in causa ex suis actionibus, nec una causa posset argui nobilior alia propter nobiliores effectus et operationes, quia, si posse in effectus nobilissimos, non arguit ens cui convenit esse perfectius eo quod nullam vim activam habet multominus eo quod aliquam vim activam habet, scilicet imperfectiorem. Confirmatur: debilitas et infirmitas agendi est imperfectionis, ergo multo magis totalis impotentia agendi et privari totaliter potentia et virtute productiva.

Preterea, esse summe bonitatis est perfectionis et nobilitatis, igitur et esse primum effectivum respectu causabilium nobilissimorum. Probatio consequentie, quia esse effectivum est esse communicativum: efficere ei est communicare [171a] perfectionem et ex communicatione animi bonitas. Preterea, habere vim effectivam respectu causabilis eterni convenit secunde intelligentie, ergo et prime. Consequentia patet, quia convenit secunde intelligentie ratione perfectionis, et attribuitur sibi non ratione imperfectionis, et quia pari ratione non repugnat prime intelligentie. Antecedens probatur per Commentatorem in De substantia orbis, tractatu 2, “corpus celeste indiget non tantum virtute movente in loco, sed largiente ei in se et in sua substantia permanentiam eternam, et infra celum habet virtutem non tantum moventem sed agentem et conservantem, finis enim significat agens significatione necessaria sicut motus significat movens”, et infra, loquens de primo movente, ait: “quidam dixerunt Aristotelem non dicere ipsum esse causam agentem totum, sed moventem, et illud fuit valde absurdum, non enim est dubitatio in hoc quod movens celum est agens ipsum”.

Preterea, cui non repugnat vis motiva localiter, nec vis seu causalitas effectiva, quia movens secundum quod huiusmodi reducitur ad causam effectivam, causa enim effectiva diffinitur quod est principium, unde motus. Sed primo enti, scilicet Deo, secundum philosophos convenit vis

motiva localiter, quia primus motor quem probat Aristoteles, 8 Physicorum, est primum ens de quo tractat Metaphysicus, nam Aristoteles loquens, 12 Metaphysice, de primo ente repetit rationem positam 8 Physicorum, et concludit primum ens esse huiusmodi cuiusmodi concluditur 8 Physicorum.

Confirmatur: frustra enim poneretur secundum philosophos in universo preter primum motorem, quedam intelligentia otiosa que omnino esset impotens agere, et specialiter, quia Aristoteles 12 Metaphysice, inquirens numerum substantiarum spiritualium ponit numerum earum secundum numerum orbium celestium, quia si qua alia esset, foret otiosa. Et Commentator ibidem commento 43, “declaratum est substantias eternas esse plures una, et quod in eis est prima, scilicet illa que omnia movet, et ibidem quod autem moderni dicunt substantiam primam esse priorem motore totius falsum est, immo quelibet est principium substantie sensibilis secundum motorem et finem, et ideo dicit Aristoteles quod si alique esset non moventes essent otiose, et sicut in communitatibus primus princeps habet propriam actionem, que est nobilissima, et si non esset otiosus quam actionem intendunt omnes qui sunt sub illo principe, sic motores orbium inferiorum intendunt hunc motum diurnum, qui est primi motoris actio, et alii sunt propter istum.

Preterea, primum ens est ultimus finis omnium, sed ultimus finis est primum principium effectivum, ergo. Maior patet, quia in hoc conveniunt philosophi. Et probatur, quia ens inferius et ignobilius est per se ordinabile ad ens superius et perfectius, ut ad finem participandum et imitandum, et aliquo modo attingendum. Minor probatur primo, quia Aristoteles, 12 Metaphysice, loquendo de primo motore, et repetens probationem, 8 Physicorum, dicit illum esse bonum et finem et principem universi, nec videtur ibi facere mentionem de alia substantia priori, et ad idem est ibidem Commentator, commento 42 et 43 ponens quod agens primum motum est finis ultimus, et commento 6 et 25 et 36.

Secundo, quia frustra ponerentur due substantie prime secundum duo genera causarum, quarum una esset causa finalis omnium nihil potens producere, et alia esset primum et perfectissimum effectivum habens tantum causam finalem, maxime cum iste due rationes causandi non repugnent, ut est probatum distinctione 19.

Contra: quia causalitas effectiva non est perfectio simpliciter, sed habet imperfectionem **[171b]** annexam. Probo primo: cause efficientis est habere causam priorem et superiorem, scilicet

finalem et moveri ab alio, scilicet fine, patet quia efficiens efficit propter finem tamquam propter melius efficiens, etiam intendit finem. Consequenter igitur intendit per se in alterum, sed tendentia huiusmodi dicit imperfectionem.

Secundo, causalitas effectiva magis convenit entibus diminutis et imperfectis ut elementis quam entibus perfectioribus ut mixtis, ignis enim est magis activus quam homo vel lapis, angeli etiam non sunt effectivi alicuius substantie, immo nec qualitatis absolute, igitur non est perfectio simpliciter.

Tertio, actio et causalitas effectiva competit entibus inferioribus ratione cuiusdam imperfectionis, igitur non est perfectio simpliciter. Antecedens probatur, quia convenit eis eo quod sunt corruptibilia, et non possunt in se perpetuati, ideo ad generandum sibi simile secundum speciem vel genus data est eis causalitas effectiva, ut participant esse divinum secundum esse immortale ut possunt datur etiam eis causalitas effectiva, ut acquirant perfectiones quibus carent.

Quarto, si causalitas effectiva arguit maiorem perfectionem et precellentiam in causa effectiva, aut igitur respectu eius quod agitur, aut respectu eius in quod agitur. Non primum, quia effectus potest esse perfectior, vel eque perfectus cum causa effectiva. Non secundum, quia aliquid potest agere in aliquod perfectiose, albedo enim causat visionem in oculo.

Secundo principaliter, primum ens non habet vim motivam localiter, ergo nec vim effectivam. Antecedens probatur, quia 8 Physicorum et 12 Metaphysice arguitur esse virtus infinita, igitur movet in non tempore. Si moveret effective, cum igitur Aristoteles et Commentator, dicant ipsum movere intelligitur per modum finis ut amatum et appetibile.

Ad primum, negatur assumptum. Ad probationem primam, patet distinctione 19.

Ad secundam, si antecedens intelligitur particulariter, sic quod duorum entium, quorum unum est nobilius altero, contingit interdum ignobilius esse magis activum, negatur consequentia, interdum ei quedam conditio perfectionis magis reperitur in ente simpliciter imperfectiori, tamen cum multis imperfectionibus ut simplicitas et independentia magis convenit parti quam toti, sed alia conditio perfectionis simpliciter eminentior convenit enti perfectiori, et cum paucioribus imperfectionibus ut totum est maioris actualitatis, et continentie, et potentie. Potest etiam dici ad antecedens quod quamvis aliqua causalitas effectiva, puta agere sibi simile magis

reperiatur in entibus imperfectioribus, alia tamen causalitas et nobilior operatio vel nobiliori modo convenitur enti perfectiori, quod enim agit sibi simile agit cum transmutatione et alteratione sui et corruptione per relationem passivi, sed ens nobilius habet propriam operationem nobiliorem que attingit ultimum finem, et ei unitur ut sue nature convenit.

Ad tertiam, convenit ei sine ratione alicuius imperfectionis tamquam ratione eius, per quod formaliter eis convenit principiari effective, immo per illud quod est perfectionis per primum virtualiter continens, conceditur tamen quod eis convenit rationem imperfectionis tollende vel sublevande, vel sublevande, scilicet corruptibilitatis ut aliquo modo manet, convenit etiam ratione perfectionis acquirende et attingende, ut participant esse divinum.

Ad quartam, dicit preeminentiam quod ad hanc conditionem respectu cuiuscumque carentis hac conditione quatenus caret ea. Nobilior enim conditio est agere quam pati, et subiici et dare esse quam accipere.

Ad secundum principale, negatur quod apud philosophos probetur sufficienter esse virtutis infinite intensive, ut videbitur infra, distinctione 42.

Tertia conclusio: in lumine naturali tamquam probabilius ponendum est ens simpliciter primum esse principium productivum intelligentiarum secundarum. Probatur: sit *a* nomen secunde intelligentie, tunc sic *a* est causatum primi entis, scilicet secundum causalitatem finalem, igitur et causatum alicuius cause effective. Antecedens patet supra. Consequentia probatur multipliciter, primo quia causalitas finalis solet poni illud quod amatum vel intentum agens agit, et illud gratia cuius aliquod efficiens efficit, causatum etiam per se ordinatum in alterum [172a] ut causam finalem et non ordinat primo seipsum, igitur ordinatur ab alio effectivo.

Item, Commentator in De substantia orbis, “finis significat agens significative necessaria sicut motus significat movens”.

Item, omne causatum habet esse sufficienter ex suis causis et virtute causarum suarum, sed nullum causatum habet esse sufficienter per solam causalitatem finalem et causalitas finalis non sufficit ad positionem effectus, alioquin causalitas efectiva superflueret, sed *a* habet esse sufficienter per primam causam, et prima causa sufficit ad ponendum causaliter ipsum *a*, quia a solo primo ente dependet, igitur.

Confirmatur: nullum contingenter causatum vel causabile habet esse sufficienter ex causalitate finali sive effectiva, igitur. Similiter, de causato naturaliter et necessario, cuiusmodi ponitur *a* secundum philosophos. Similiter, nullum causatum cause finalis ponitur noviter nisi mediante aliquo efficiente noviter, igitur nullum causatum eternum cause finalis ponitur sine effectivo eterno. Consequentia patet, quia sicut causatum finaliter contingens et temporale ad causam contingenter et temporaliter causantem, sic eternum et necessarium ad eternam, et quia causalitas que per possibile vel impossibile posita de novo non sufficeret ad positionem novam effectus sine causalitate effectiva, ipsa ab eterno posita non sufficeret inferre esse causati, nec per eam seu propter eam poneretur sufficienter esse causati sine eterna causalitate effectiva.

Preterea, quod per se et essentialiter dependet ab aliquo ente extrinseco et necessario infert et exigit esse illius non dependet precise ab illo secundum causalitatem finalem, ut ostensum est questione precedenti. Indiget enim per se conservari ab illo, et conservatio est causalitas effectiva, sic est de *a* et de primo ente.

Confirmatur: Commentator 12 Metaphysice, commento 36. Sicut aliquis movetur ad conservandam suam sanitatem, sic alie intelligentie movent, quia intelligunt et quod perfectio et substantia earum est in motu et amando primam substantiam.

Preterea, quod naturaliter et secundum rectam rationem magis amat primam causam quam esse proprium habet esse a prima causa et dependet in suo esse ab illa tamquam a conservante et manutenente secunda intelligentia est huiusmodi, quia amat primam ut finem ultimum et seipsam amat propter illam et in ordine ad illam et gratia illius.

Preterea, Commentator, 5 Metaphysice, commento 31: apud Aristotelem, virtutes intelligibiles absque materia sunt a virtute non mixta cum materia.

Preterea, hoc negaretur, quia secunde intelligentie sunt necessarie et eterne, sed hoc non impedit, quia 2 Metaphysice, “sempiternorum sunt cause que sunt maxime, quia sunt causa aliis ut sint”; ubi Commentator, commento 4, “hec est prima causa omnium ut sint”, et 5 Metaphysice, cap. de necessario naturarum³ est altera causa, quia celum est eternum et necessarium secundum philosophos, et tamen dependet ab alio effective secundum Commentatorem in De substantia orbis. Similiter, De accidentibus celi et similiter De materia prima. Et 8 Physicorum, capitulo 4,

³ alia lectura habet, de necessario necessariorum

“aliquorum sempiternorum querenda sunt principia et causa”. Triangulus enim habet tres etc. Sed est aliqua huiusmodi perpetuitatis altera causa. Et Commentator, 12 Metaphysice, commento 51, “scientia Dei est causa entis, ens autem est causa scientie nostre”. Contra: nullum ens in se formaliter necesse esse est effectum ab alio quolibet intelligentia, immo quodlibet corpus celeste secundum philosophos est necesse esse in se formaliter, quia sunt entia incorruptibilia. Carent enim materia, que est principium potentie ad non esse, igitur maior probatur⁴ [172b] quia aliter sequitur hec contradictio quod idem sibi relictum circumscripto extrinseco esset, et non esset, ut deducitur questione precedenti. Sequitur etiam hec repugnantia quod *a* est ex se impossibile non esse, et quod non est ex se impossibile non esse. Prima pars probatur, quia est ens in se formaliter necesse esse. Secunda pars probatur, quia *a* est effective causatum et dependens ab alio continue in suo esse, igitur non ex se habet esse, igitur non ex se habet necesse esse, igitur non est ex se impossibile non esse.

Confirmatur maior, quia aliter sequeretur quod aliquod ens permansivum non ex se necessarium esset ab alio necessarium. Consequens est falsum, tum per Commentatorem, 12 Metaphysice, commento 41, “nihil est possibile et non necessarium ex se et necessarium ab alio nisi motus celi eo quod habet esse ab alio, scilicet motore”, tum quia implicat contradictio. Si enim non ex se necessarium, sed ex se contingens non esse, igitur sibi simpliciter non repugnat non esse, sed sibi simpliciter convenit posse non esse, quia hoc sibi formaliter ex se convenit. Si autem sit necessarium ab alio, ergo non potest simpliciter non esse, quia ad ipsum non esse sequitur necessarium non esse. Secundo principaliter, sequitur quod intelligentie et celum producuntur effective per creationem, consequens est impossibile secundum philosophos, quia communis animi conceptio in qua omnes philosophi convenerunt est quod ex nihilo nihil fit, 1 Physicorum. Consequentia probatur, quia causatio efectiva que non est motus, neque mutatio, nequeeductio de subiecto est creatio, non enim sunt plures species causalitatis effective.

Dices: secundum philosophos, quod ex nihilo nihil fit, noviter post non esse, ita quod fiat ex nihilo tamquam ex termino a quo precedente, sed aliquid potest dependere effective ab alio ab eterno sine presuppositione principii materialis passivi transmutabilis. Contra: quod habet ex se virtutem causandi effective, aliquid eternaliter sine subiecto posset sufficienter quantum est ex se dare illi noviter esse, si illud non esset, non enim minus posset illi dare esse noviter quam

⁴ alia lectura immediate post “necessariorum est altera causa” habet et Commentator 12 Metaphysice etc.

eternaliter, quia totaliter et sufficienter continet ipsum virtualiter sine respectu ad substantiam materiale, igitur primum ens haberet secundum philosophos potentiam causandi simpliciter ex tempore.

Tertio, Commentator, 12 Metaphysice, commento 43, contra quosdam dicentes quod a motore primi celi provenit anima primi celi, et motor orbis consequentis sic ait, ibi non est proventus, nec consecutio, nec actio, ita ut dicamus quod una actio consequitur unum agentem, et infra, mos autem qui est inter modernos dicentes quod a tali motore provenit talis motor, aut consequitur, aut procedit aut talia verba non vere intelliguntur de istis principiis abstractis. Omnia enim ista sunt dispositiones agentium superficie tenemus non vere, ab agente enim nihil provenit nisi extrahere illud quod est in potentia ad actum, sed illic non est potentia, unde nec agens, tantum enim illic est intelligens et intellectum perficiens et perfectum hec ille.

Quarto, quod *a* causari finaliter a primo non infert causari effective ab illo, aut etiam ab aliquo, probatur primo, quia ut probatum est, distinctione 19, ratio ultimi finis et primi effectivi non conveniunt eidem.

Secundo, quia ex 2 De anima, homo est causa finalis aliorum infra se, sicut Deus respectu omnium, et tamen homo non habet ex hoc causalitatem effectivam respectu aliorum.

Tertio, illud non arguit causalitatem effectivam inter *a* et *b* ad quod exigitur et sufficit differentia et inequalitas perfectionis essentialis inter *a* et *b*, sed causalitas finalis est huiusmodi, quia eo solo posito quod *a* sit eminentioris essentie quam *b*, sequitur quod *b* ex natura sua est ordinabile ad *a*, quia in ordine universi ens per se et specificè inferius est gratia dignioris. Quarto, materia et forma sunt propter propositum et **[173a]** gratia compositi finaliter, licet compositum non habeat causalitatem effectivam, et si aliquid compositum esset omnino ingenitum adhuc materia et forma essent finaliter gratia compositi.

Ad primum, negatur maior secundum philosophos, sicut etiam Filius Dei est ens in se formaliter necesse esse, et habet per productionem esse ab alio; similiter, aliquorum verorum eternorum et necessariorum est dare verum propter quid et causale, ut supra ostensum est. Ad probationem maioris primam patet questione precedenti. Ad aliam, si li 'ex' notet causalitatem effectivam sive positive sive privative, negatur prima pars, quia non a se effective, sed ab alio effective est

ens impossibile non esse; si vero li 'ex' notet causalitatem vel quasi causalitatem formalem, conceditur prima pars, et negatur secunda, probatio autem procedit quod non a se effective.

Ad confirmationem, licet consequentia non valeat de substantia intelligentie secunde vel corporis celestis, quia sunt in se et ex se formaliter necesse esse, licet ab alio causaliter effective, tamen consequens non videtur impossibile de ente accidentali secundum philosophos. Probo de lumine causato a sole in partibus sui differentis, quod naturaliter impossibile est non esse, et tamen non est ex se et in se formaliter ens necesse esse, quia est eiusdem rationis cum lumine causato a sole in partibus quarundam aliarum spherarum, quod est corruptibile, quia continue intenditur vel remittitur propter variam approximationem solis ad illas partes.

Item, alicuius unius gradus luminis intenzi, aliquis gradus est eternus et naturaliter incorruptibilis, alii vero gradus corrumpuntur. Probatur de lumino causato a sole in quibusdam partibus sphere differentis Mercurium vel Venerem propinquis planete Mercurii vel Veneris. Ille enim partes numquam sic elongantur a sole, quin recipiant aliquod lumen a sole, et ita non est evidens, quin aliquis gradus remissus semper maneat, sed gradus qui additur propter maiorem appropinquationem solis tollitur propter elongationem.

Item, si quantitas sit forma accidentalis alia realiter et totaliter a substantia et qualitatibus, ipsa est eiusdem rationis in omni corpore, et in aliquo corpore est corruptibilis, igitur in nullo corpore est ex se et per se ens formaliter necesse esse, et tamen in celo non potest corrumpi; igitur ab alio habet necessitatem essendi.'

Item, aliqui ponunt spheram elementi terre et elementi ignis non posse totaliter corrumpi, sed ponunt quasdam partes eternas, et tamen alie partes eiusdem rationis corrumpuntur.

Ad primam, igitur improbationem consequentis videtur Commentator dicere oppositum in De substantia orbis, tractatu 2, dicit enim celum esse finite permanentie ex se sicut et motus eius, sed habet permanentiam eternam in se et in sua substantia ab alio.

Item, si secundum Commentatorem, ratio quare motus, licet sit possibilis ex se, tamen necessarius ab alio sit, scilicet motore necessario movente, et non impedibili, pari ratione de entibus superioribus permansivis, non est igitur multum innitendum dictis Commentatoris, potest tamen dici pro intentione Commentatoris quod nullum ens aliud a motu est ex se possibile non esse et perpetuum et necessarium ab alio, sic quod quelibet eius pars sit simpliciter possibilis

non esse potentia naturaliter reducta, aliquando ad actum, et tamen ab alio sic perpetuetur quod semper sit aliqua eius pars, et quod semper duret uniformiter, nec possit per contrarium impediri, et hoc est quia motus habet esse tantum in fieri, et in actu permixto potentie secundum quodlibet sui.

Ad secundam improbationem, negatur prima consequentia, sicut de motu tenetur, igitur in esse et prohibetur cadere in non esse virtute alicuius principii non possibile naturaliter [173b] impediri, sicut igitur impedimentum simpliciter invincibile reddit simpliciter impossibile illud quod impeditur, sicut virtus que simpliciter non potest impediri reddit simpliciter necessarium illud respectu cuius impediri non potest, si sit virtus agens naturali necessitate.

Ad secundum principale, negatur consequentia, accipiendo proprie creationem, ut accipitur communiter a philosophis, scilicet pro causatione effectiva alicuius totaliter de nihilo, ut termino a quo precedente, et sic creationem negaverunt philosophi, sumendo vero large creationem active ex parte creantis pro causalitate effectiva totali alicuius suppositi, non de subiecto ut principio concausante materialiter, et passive et naturaliter presupposito et exigito, ut creationem passive ex parte producti pro totali dependentia alicuius suppositi ab aliqua causa effectiva, sic in lumine naturali conceditur creatio.

Ad improbationem responsionis ibi posite, negatur maior secundum philosophos, quia ille modus producendi de novo repugnantiam includit, ideo ad illum nulla est potentia, et ideo si tale causabile non esset actu, repugnaret sibi capere esse, vel quia illa maior videtur conditionalis, ideo conceditur, quia ex hypotesi antecedente inferuntur contradictoria, posset enim et non posset producere illud, si non esset *a* quod scilicet modo ponitur eternaliter productum.

Ad tertium, Commentator non intendit ibi negare causalitatem effectivam universaliter, patet per allegata ex ipso supra, et quia ibidem dicit quod illic est causa et causatum secundum quod dicimus quod intellectus est causa intellectionis, causalitas autem conveniens obiecto respectu intellectionis magis videtur effectivam quam alia. Dicendum igitur quod Commentator ibi negaret causalitatem effectivam novam que facta sit per transitum de non esse ad esse vel causalitatem contingentem que fit cum potentia separabili ab actu. Negat etiam ibi causalitatem effectivam que sit per transmutationem que proprie dicitur actio, quia actio proprie habet passionem sibi correspondentem et per consequens habet subiectum transmutabile. Unde, Commentator ab agente nihil provenit nisi extrahere illud quod erat in potentia ad actum, sed

causalitas effectiva est esse a quo aliud sive per transmutationem et extractionem de potentia ad actum sive per dependentiam simplicem huius ab illo ut a quo habet esse. Intendit igitur Commentator quod in exprimendo illam causalitatem, que est in superioribus non est utendum verbis que ex sua impositione vel communi acceptione sonant causalitatem effectivam cum novitate et transmutatione subiectiva.

Ad quartum, negatur assumptum.

Ad primam probationem, patet supra.

Ad secundam et tertiam probant solum quod non universaliter ex causalitate finali huius. Ad illud arguitur: causalitas effectiva huius ad illud. Sed bene arguitur causalitas effectiva alicuius ad illud et ultra, si illud per se et essentialiter dependet ab hoc extrinseco et indiget eo, et infert ipsum esse, et ex hoc arguitur quod non tantum est causalitas finalis huius ad illud, sed alia, sic autem est de ente secundo respectu primi entis.

Ad quartam, necesse est tam compositum quam partes eius habere causam effectivam, et si compositum esset in causatum totaliter effective non esset compositum, et ita non esset causa finalis materie et forme.

Item, si compositum esset omnino in causatum effective, et partes essent gratia compositi, tamen esse materie vel esse forme non inferret esse compositi tamquam esse alterius extrinseci prioris essentialiter a quo dependeat esse, et quo indigeat, sed quia nec materia, nec forma est suppositum vel individuum completum. Sed ens diminutum secundum existentiam et subsistentiam, ideo infert esse compositi non sic de ente secundo respectu primi. [174a]

Quarta conclusio: in lumine naturali tamquam probabilius ponendum est ens simpliciter primum esse principium effectivum omnium aliorum entium immediate vel mediate. Probatur, quia est conservativum omnium aliorum per se. Sed huiusmodi conservatio est causalitas effectiva ut deducitur questione precedenti.

Preterea, est causa effectiva secunde intelligentie, igitur consequenter et mediate omnium aliorum, quia causa cause est causa causati in per se et essentialiter dependentibus.

Preterea, 12 Metaphysice, a tali principio dependet celum et natura.

Preterea, Commentator, 2 Metaphysice, commento 4, “hec est prima causa omnium ut sint sicut ignis est causa in rebus calidis”.

Preterea, hoc videtur perfectionis simpliciter, sicut de causalitate finali.

Preterea, ad quemlibet effectum cause particularis inferioris concurrunt aliqua causa superior ut essentialiter preordinata, igitur et primum ens. Antecedens probatur, quia causa inferior determinatur ad hunc effectum numero a superioribus.

Contra: pari ratione in lumine naturali esset ponendum quod habet vim effectivam totalem et immediatam respectu cuiuscumque effectus. Consequens est falsum secundum philosophos, quia superfluerent causalitates effective secunde, cum agat necessario secundum philosophos, quia impossibile est celum et eius motum non esse. Consequentia probatur, quia si causalitas effectiva eo quod est conditio perfectionis simpliciter attribuitur primo, cum causalitas totalis sit perfectionis et causalitas partialis non sufficiens esse totalis sit imperfecta et diminuta, saltem cum habere vim effectivam totalem et immediatam non minus sit perfectionis quam habere partialem, sequitur quod dictum est. Responsio: philosophi dicerent quod esse causa totalem et immediatam alicuius effectus inferioris est imperfectionis, et argueret imperfectionem in prima causa. Probo, quia nullum materiale potest immediate transmutari a pure spirituali, secundum Aristotelem 7 Metaphysice, contra Platonem.

Item, in prima causa formaliter esset novitas et variatio, novitas enim et difformitas in effectibus non haberet pro causa, nisi varietatem et novitatem in prima causa totali et immediata, ideo varietas generationis et corruptionis in inferioribus assignatur ex aliis causis, in quibus est continua varietas.

Item, esset eque immediatum cuilibet effectui et tolleretur ordo essentialis causarum et causalitates secunde effective, tollere autem ordinem essentialem causarum in universo, et actiones proprias a rebus est auferre essentias rerum, secundum Commentatorem 9 Metaphysice, et est deordinare universum. Hoc autem infert imperfectionem in primo principe.

Item, ponitur esse necessario causans, ergo omnia simul produceret, cum autem dicitur quod causalitas partialis est diminuta, diceretur quod non est imperfectionis, sed perfectionis in primo ente, quod sit causa prima in toto ordine essentiali causarum et superior omnibus aliis a qua ordinate procedatur usque ad effectum imperfectum, et continens eminenter totum illum

ordinem infra se et perfectionis est quod sit causa remotior ab imperfectis et ultimis. Proximum enim et immediatum imperfectissimis est aequaliter imperfectum, et sicut non est imperfectionis in primo ente quod sit ultimus finis non immediatus cuiuslibet, nec est imperfectionis in principio primo alicuius scientie, quod non sit principium immediatum ad sciendum conclusionem ultimam.

Quinta conclusio: secundum veritatem fidei catholice ens simpliciter primum habet vim effectivam immediate **[174b]** totaliter respectu omnis entitatis positive causabilis per se effective. Probatur, quia est omnipotens et infinitus in virtute libere activa.

Preterea, respectu cuiuslibet entitatis talis habet vim destructivam, igitur et productivam, quia potest entitatem reparare in se vel in simili.

Preterea, habet vim productivam illius concurrente aliqua causa secunda, igitur est sine illa. Probo consequentiam per articulum “Quod Deus non potest in effectum cause secundarie sine ipsa causa secundaria, error”.

Preterea, Deus habet vim effectivam totalem cuiuslibet bonitatis causabilis, sed omnis entitas per se causabilis est quedam bonitas causabilis, quia secundum Augustinum, in pluribus locis, omne quod est in quantum est, bonum est. Et patet, quia bonum est quod omnia appetunt et cuius oppositum naturaliter refugunt, sed omnia naturaliter appetunt esse primo ratio essendi videtur prima ratio perfectionis simpliciter in actuali existentia.

Contra: si attribuitur Deo, hoc videtur quia est perfectio simpliciter, sed hoc est falsum. Probo: agere non est perfectionis simpliciter in Deo, igitur nec posse agere. Antecedens patet, quia contingenter et separabiliter Deo convenit, et ita Deus fieret nunc perfectior, nunc imperfectior, quia careret perfectione que sibi prius conveniebat. Consequentia probatur, quia agere non est minoris perfectionis quam agere posse, cum actus sit melior et dignior potentia, 9 Metaphysice.

Secundo, posse agere *b* non dicit perfectionem simpliciter. Probo, quia non semper convenit Deo. Consequentia patet ut prius. Deus enim quandoque cresceret et quandoque decresceret in perfectione. Antecedens probatur, quia adveniente actuali productione cessat posse agere, secundum talem productionem, quia 9 Metaphysice, “potentia opponitur actui et rem esse actu est existere rem non ita sicut in potentia”, et quia secundum Commentatorem, 1 Physicorum, potentia materie ad recipiendum desinit et cedit adveniente actuali receptione, igitur. Similiter

de actione, loquor enim de potentia distante ab actu quod talis non convenit Deo respectu cuiuslibet causabilis.

Tertio, non posset argui, nec cognosci aliqua causalitas secunda. Probo, quia licet ad presentiam ipsius *a* ponatur *b* effectus, et ad remotionem removeatur non ex hoc erit certum, nec sequitur necessario quod *b* sit causaliter effective ab *a*, possibile enim erit quod Deus producat totaliter *b* ad presentiam *a*, nec est certum quin sic ordinavit, sicut in sacramentis ad presentiam quorundam signorum producit gratiam, sed consequens est inconveniens, quia non esset certum de aliquo quod sit homo vel quod sit ignis, quia non innotescit nisi per operationes aliquas, quas Deus se solo poterit agere, et consequenter nulla erit certitudo demonstrativa et scientifica de entibus per causas secundas.

Quarto, Deus posset producere totaliter in anima alicuius summum odium et contemptum Dei, et ita talis odiret et contemneret Deum non inordinate.

Ad primum, negatur minor. Ad probationem, negatur consequentia. Agere enim non est predicatum seu conditio perfectionis simpliciter, ut distinguitur contra non agere, quia Deus non est perfectior ex eo quod agit, nec imperfectior ex eo quod non agit, tamen agere dicit antecedenter perfectionem, scilicet habere principium et potentiam activam, tamen accipiendo perfectionem simpliciter pro conditione essendi predicabili de ente que non infert imperfectionem in eo cui attribuitur, immo que infert imperfectionem in eo cui non convenit secundum actum, nec secundum potentiam, negatur antecedens. Ad probationem antecedentis, negatur consequentia, quia perfectio realiter significata et pro qua [175a] supponit manet eadem invariata, licet ab illa nunc actu non procedat alia perfectio. Ad probationem principalis consequentiae, conceditur quod illud quod est realiter agere, scilicet ipsa res actu agens non est minoris perfectionis quam agere posse, id est res potens agere, tamen conditio predicabilis de ente que dicitur agere actualiter non dicit perfectionem simpliciter, sicut posse agere, quia licet neutrum istorum inferat imperfectionem in esse illi de quo verificatur, tamen unum illorum et non alterum infert imperfectionem inesse illi de quo non verificatur, et cum dicitur quod actus est melior et dignior quam potentia, dicendum quod quedam est potentia ad primam perfectionem seu ad primum actum essendi, quedam autem est potentia ad secundaria perfectionem accidentalem acquirendam, quedam vero est ad communicare alteri perfectionem primam vel secundam primo et secundo modo actus est dignior quam potentia in bonis, quia

dignius esse quam posse esse et perfectius est habere scientiam quam posse habere. Sed tertio modo non universaliter actus est melior simpliciter quam potentia specialiter ille cui attribuitur actus et potentia cuius, scilicet est communicare, licet sit melior illi cui communicatur perfectio. Potest etiam dici quod actus tertio modo est melior ostensive, quia agere est signum perfectionis, enim eo quod agit in agentibus etiam secundis videtur quod eis melius sit agere quam posse agere, quia per agere imitantur primum ens et acquirunt aliquo modo esse immortale, et per hoc participant esse divinum et attingunt finem suum.

Ad secundum posse agere potest sumi absolute pro non repugnantia ad agere, et sic est perfectionis, et stat cum actu. Alio modo pro privatione actionis, cum non repugnantia ad eandem: primo modo negatur antecedens, secundo modo conceditur quod non est perfectio simpliciter, sicut dictum est de agere.

Ad tertium, negatur consequentia. Licet enim non possit esse certum secundum certitudinem evidentie demonstrative et per se scientificae, tamen potest esse sufficienter certum certitudine competente tali materie obiective, si enim ad presentiam *a* sequitur regulariter *b* debet poni eius causa, nisi aliunde sufficienter vel probabilius ostendatur *b* non esse ab *a* sed ab alio totaliter, alioquin est irrationabilis protervia, nunc autem nec ex ratione naturali, nec per experientias, nec per Scripturam habetur Deum esse causam totalem omnium effectuum, immo Scriptura et doctrina sanctorum attribuit causalitatem quibusdam creaturis. Et Augustinus 7 De civitate 30, “Deus res quas condidit sic administrat ut eas proprios motus agere sinat, non est igitur ponendum miraculum, nisi experientia vel Scriptura cogat.

Ad quartum, conceditur consequens quantum ad realitatem positivam per se causabilem.

Ad improbationem conceditur consequentia, quia non esset odium Dei et contemptus Dei iuxta acceptionem communem istarum orationum, videtur tamen quod in demente vel somniantem posset esse sine culpa⁵.

Sexta conclusio: Deum habere vim effectivam omnium aliorum totalem et immediatam non potest sufficienter in lumine naturali probari. Probatur: quia posset probari Deum posse

⁵ in marg.: de hoc magis dicendum ulti. q. 2.

creare de nihilo noviter et adnihilare quodlibet alius ens, cuius oppositum senserunt philosophi, quia motus celi et tempus non possunt cessare secundum eos.

Contra: ut arguitur Scotus 7 questione sui Quodlibet quod continens virtutem activam alicuius cause secunde eminentius et perfectius quam contineat illa causa secunda potest immediate in effectum illius cause secunde absque illa causa secunda, sed primum ens est huiusmodi, quia continet illam absque imperfectione; causa autem secunda continet illam diminute cum modo imperfectio **-[175b]-** nis, igitur. Maior probatur, quia ad productionem effectus non requiritur modus imperfectus virtutis active, quia nulla imperfectio est ratio agendi, sed potius impedimentum actionis, et quia ideo causa equivoca producit effectum, ita perfectum sicut produceret causa univoca, quia continet virtutem activam cause univoce modo non minus perfecto quam causa univoca.

Responsio: secundum Scotum, negando maiorem, secundum philosophos. Licet enim contineat illam virtutem modo quodam eminentiori, non tamen potest in effectum illius cause, nisi in suo ordine causandi, ordo autem cause prime in causando est causare, ut causa suprema et remota totius ordinis essentialis causarum.

Ad probationem, licet causare per se non dicat imperfectionem, nec imperfectio requiratur per se ad causandum, tamen causare immediate necessario requirit imperfectionem, sicut conditionem necessariam in causa proxima et immediata effectui ultimo generabili et corruptibili, talis autem imperfectio repugnat cause prime, non autem cause equivoce particulari secunde, ideo ei non repugnat esse causam proximam et immediatam effectui in ordine causandi. Ad argumentum in principio questionis, patet questione precedenti.